

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

77

Nf 45.
44

21
72

BELGICAE LIBE-
RANDAE AB HI-
SPANIS

ΥΠΟΨΕΙΣ,

AD

P. P. D. GVILIELMVM
NASSAVIVM, PRIN-
cipem Aurantium.

ANNO M. D. LXXI. APRIL
XVII. EXHIBITA.

AC
Nunc demùm in lucem edita,
1574. Mense Octob.

W.

BELGICAE LIBE

RANDAE AB HI

SPANIS

PHOENICE

AD

P. P. D. GUILLELMUM

IVASSAVIVM PRIN

cipem Antwerp

ANNO M. D. LXXI. APRIL

XVII. EXHIBITA

Nunc demum in lucem edita
1774. M. G. O. G. O.



I.
AMICO REM COM-
MVNEM PROCVRAN

TI: N. N.



VO animo cū er-
ga patriam, tū e-
semper fuerim, qui-
bus gloria DE I cū
nostra salute, & Rei
publicæ incolumi-
tate coniuncta cu-
ræ est, si non palam
hisce locis declara-
re licuit, at tu Vir
optime multis in re-
bus oculatus testis
fuiſti. In quo illud
mihi cū primis stu-
dio fuiſſe non igno-
ras, non, vt Princi-

pum arcana conſilia moleſta impudentia tuo atque tui ſi-
milium pudori extorquerem, aut quæ publica eſſent inge-
nioſa curioſitate cauillarer, ſed, vt quantum mihi per in-
genij, virium, ac facultatum tenuitatem datum eſſet, omni
opera, ſtudio, & conſilio promouerem, idque cum vulgo
quidem nihil, vobiſcum verò quantum iuberetis & velle-
tis, (eſſi ſæpe non ſine periculo) commune habens. Cū i-
gitur noſtræ res ſuperioris hyemis iniquitate quibuſdam
locis repulſam paſſæ ceſſare viderentur, animus tamen no-
ſter variè agitatus non ceſſaret, vulgo noſtro infortunatos
caſus tanto ineptiore ingenio exagitante, quanto commo-
dius otium ſuppedit diuturno exilio, cœpi mecum cogita-
re, cum tam multi (quos minimè tamen decebat) carnifi-
cem noſtrum celebrarent etiam ſcriptis libris, cur non &
noſtri dolores tam ſæcundi eſſent ad noſtrum Camillum cō-

A ij ſokandum

solandum, quam essent illorum gaudia ad illum dementan-
 dum encomijs, ut ipse aliquid molirer, maximeque ut osten-
 derem neque nostras aduersitates, neque tyranni prosperi-
 tates diuturnas fore, mater studiorum nostrorum Acade-
 mia Louaniensis scælici me omine erexit, ubi cum pridie D.
 Thomæ cognatus Del Rio in quæstionibus Quodlibeticis
 recitare incepisset amplissimos Albani de Mauris, Gallis,
 Anno Italis, Germanis, Cluensibus, Belgis triūphos, tantus studio
 1570. forum in ipso orationis exordio, tanquã consentiens ac cõ-
 stanter repetitus opplosus exortus est, ut verbo progredi
 non potuerit, sed celeberrimus actus turpis silentij hiatus ab-
 ruptus sit. Paulò post Leoninus & VVammesius DD. nescio
 quid deprecatum Bruxellam profecti & ipsi à Confessiona-
 rio Albani insolenti strepitu sunt interturbati, mirantibus-
 que responsum est, tam inuidioso opplosu pridem acceptas
 optime meriti Ducis laudes Louanij, nec hætenus in tales
 animaduersum esse, vnde satis liqueret, clam eam Academi-
 am Catholicæ fidei inimicam esse, Ita discessum. Reuersi, ut
 iussi erant, in singulos singulorum indices promittunt xx.
 aureos, nemineque reperto reo grauius incurrunt coniura-
 tionis crimen, quod hætenus non expiârunt. Habes omen.
 Quid scripserim lege priusquam transmittas, si modo mit-
 tendum putabis: Sin cognoscere non vacat, hæc insunt.

Manu Dei tolli omnes tyrannos, eumque tenorem æter-
 num esse apud omnes gentes.

Non esse nimium fidendum humanis viribus, quod matu-
 rus tyrannus sponte cadat.

Respicere igitur illum nostrum debere tam ad personã
 suam, quam ad causam ipsam, donec intelligat, quemadmo-
 dum causa ex DEO sit, ita se peculiari DEI prouidentia
 cognationibus & affinitatibus Germaniæ succinctum ad
 hanc tyrannidem debellandam seruatum esse.

Succedit comparatio fatorum vtriusque Germaniæ.

Pro Epilogo est non tam consilium (quod nos apud ta-
 lem non decet) quam opinio belli gerendi, quæ ut nobis to-
 to hoc quadriennio (quod & tu testificari non desines) in
 ore

ore fuit, ita & hisce adiunctis literis videtur iecisse aleam.
 Tu nunc velim efficias ne vel ambitiose, vel arroganter
 scriptum putet, atque illud quoque scisciteris velim, an re-
 bus felici auspicio inchoatis editionem ferre velit. Sin mi-
 nus (quanquam nihil inest, quod odiosum dici possit.)
 saltem quæ sincera fide, atque obseruantia scri-
 pta sint, clementi animo, quæ eius est hu-
 manitas, accipiat. Vale vir op-
 time 17. Aprilis. Anno
 1571.

T. Obsequentiss.





I GRAECIAE PHI
 losophi Princeps Il
 lustrissime priuatam
 atque inopem, saepe
 que sine domicilio
 circumferentes vitā
 ea tamen autoritate
 floruerunt, vt etiam
 orbis monarchas su-
 is cōsilijs inuenerint
 æquos, atque addi-
 ctos, quāto liberio-
 res nos esse conuenit
 apud eum Principē,
 qui si non omnibus

tam amicis, quam consultoribus destituitur, tamen omni-
 um eorum fide, atque opera exutum se sentit, qui fugientem
 meliorem fortunam per se secuti per fugio ipso declara-
 runt, haud quaquam tuto illis credi, qui execrabilem nostri
 temporis Principum securitatem, ne dicam oscitantiam, cō-
 silijs suis quæstui habent. Ego tamen vel solius pristinae ma-
 gnitudinis tuæ vestigijs deterritus ab illis etiam pregnan-
 tissimis vetustatis exemplis abstinere, nisi me causa impel-
 leret, quæ vt multis maximis Principibus maior est, ita nos
 detracta omni, quæcumcunq; vnquam fuit, persona, vna ea-
 demque exilij specie comprehensos in æqualitatis quādam
 communionem contrahit ne dicam constar: De qua causa
 ad T.C. verba facturus omisis omnibus illis, quæ hæctenus
 varios varijs locis, atque autoribus pro libertate patriæ e-
 uentus sortita sunt, intra eas res sermonem continebo, quas
 hoc temporis articulo, tametsi omnes ad te ducem & auto-
 rem referunt, ita tamen singuli suis desiderijs, votis & affecti-
 bus exagitant, vt quæ abs te solo pendere consentiunt, eo-
 rum tibi pene omne præripiant iudicium, conturbentque
 institutum. Compositis Gallia motibus, vergentibusque Im-
 perialium Comitiorum conatibus non eo, quo multorum
 optabat

5.

optabat maleuolentia: omnes qui Belgicis rebus recte com-
sultum optarint, deberi sibi tanquam connexa quadam se-
rie libertatem & salutem acclamarunt, cui ingenium non de-
fuit, ut intelligeret, quam tu personam, quam Luduicus &
Henricus fratres tui transigendis illius regni furoribus per-
sonam gesseritis, dubitandi causam non habuit, quin vos vi-
cissim expectaueritis, ut felicissimorum exemplorum pro-
pagatio etiam nostrates, qui adhuc patriam incolunt, cir-
cumquaque omni metu & periculo sublato ad excutiendum
iugum, ne expectata quidem vlla aliena ope, excitaret, atque
erigeret, id vero adeo non factum est hactenus, ut etiam ad
tenuissimum satellitium redacto tyranno, atque exitium su-
um quasi irritante, nemo alium tuę insignis virtutis ac fidei
videatur sentire stimulum, quam tum, cum ante biennium
oblatis multo validissimis copijs omnes ita se continuerunt,
ac si non cum vindice, sed hoste res fuisset, Quid? quod etiam
illorum conatum, qui fortitudine quorundam videbatur
feliciter futuri, omnis exitus vel calamitosus euasit, vel certe
vno impetu elanguit, & consumptus est: Concurrunt istius-
modi fateor, exempla haud pauca, quę vel Iasonem nobilissi-
simis Gręcię Heroibus succinctum, vel Herculem etiam ip-
sum, Deo parente satum, nedum te nudum exulem inter in-
dignationem ex summa populi nostratis ingratitude con-
ceptam, & cogitationem omnium difficultatum tanquam
inter collisas procellas fractum videantur debere alienare
ab omni liberandę Patrię instituto. Quę tamen cuncta
Princeps Illustrissime, si eo loco statuamus, ut conferantur
inter se, hinc populi ut ignauissimi & furcam suam, (quę in
procliui est, ut vel sponte decidat,) imaginantis, ita ta-
men tacita patientia, proficientis ad furorem lentitudo, ist-
hinc tyranni inermis, & tamen in tanto scelerum præcipi-
tio diurnitatem sibi persuadentis securitas, quis obsecro
non luce meridiana clarius perspiciet in ea versari iam sen-
tentia diuinę prouidentię consilia, ut singularem quempi-
am herosa non magnitudine virium humanarum, nec vn-
dique contracto apparatu, sed cęlesti manu succingat, qui
inopi

Inopinato impetu ruens simul & populo imbellem torpor
 rem excutiat, & atrocissimæ tyrannidis exempla in capita
 autorum conuertat: Crede mihi (si nos non fallunt Prophe
 tarum clamores in Scripturis, si non Ethnicorum historiae
 tot monumentis cōsecratæ posteritati) omnis tyrannis pœ
 na præuaricantis populi est, quæ quoties incanduit in ho
 mines diuina ira, horribili terrore percellit animos genti
 um, antea etiam inuictissimarum, diuturna tamen non est,
 quia DEVS placatur pœnitentia, & quorum insolentiam
 irrogatis calamitatibus castigauit, eorum inuocātium mi
 feretur, expiatis conscientijs restituit robur, adeoque pro
 brosis exemplis vastatores illos ad tempus armatos profligat,
 ut damnatos ad ruīnam cum carnifice potius commit
 rat quam cum honesto hoste. Imo quoties illæ elatæ cerui
 ces, quæ non sentiunt se flagella irascentis numinis aliquan
 diu fuisse, ad summum superbix fastigiū conscenderūt, iam
 que redactæ in potestatem, planeq; oppresso populo in hoc
 sunt, ut finem non faciant, nisi conturbatis atque obrutis et
 tiam diuinarum legum extremis vestigijs, tum quid aliud
 accidisse omnibus seculis obseruatum est, nisi quod vel ful
 mine cœlitus exanimati sint, vel à domesticis confossi, vel
 certè inexpectatæ alicuius manui obiecti, non ad victori
 am, sed ad supplicium, quem Deus non Xerxis illius copijs
 armare dignatus sit, sed solo peculiari mandato suo subin
 de & abhorrentem concitarit ad ministerium reddendæ ta
 lionis. Ad quem reatum cum omnes vndique circumstan
 tiæ monstrent, hanc bestiam redactam esse, quid obstat obse
 cro Vir Optime, quin & tu audias vocem DEI peculiariter
 te vocantis non tam ad inferendum bellum, quo nullus ty
 rannus dignus vnquam fuit, sed ad leui momento impellen
 dam exorix tyrannidis molem, quæ postquam omnem di
 uinæ patientiæ indulgentiam consumpsit, periodumq; se su
 sineudi absoluit nisi festinetur, vel solo suo pondere procu
 bitura videtur. Qui Medicorum artem factitant, ex maio
 rum suorum definitionibus se felices existimant, si in decli
 natione morborum accersantur ad ægros, quod tum nō fal
 laci

iaci obseruatione, neque difficili experimento, quod artem
 in infamiae periculum vocet, opus sit, sed sufficiat ad compa-
 randam artis gloriam, naturam debellantem vim mali leui
 quouis fulcimento sustentare, donec ipsa ad sanitatem elu-
 ctetur. Cur aliter de se statuat liberator Patriae? cui cum eo
 hoste negotium sit, qui inter suorum plus attritas reliquias,
 & popularium innatam ignauiam lethali sopore conditus
 ipsa tandem pereundi maturitate, vel cuius percussori sese
 mactandum exponit? Sed tu foedera inis agnatorum, atque
 affinium opem sollicitas, apparatus facis, & arma requiris,
 denique circumspicis qui animum confusum difficultati-
 bus ad aggrediendum, hoc est, ad iaciendam aleam expedi-
 as. An igitur is nulla subministrabit arma cuius symbolo
 militabis? qui te cum potestate esse iussit? qui diuinissimum
 militiae munus imposuit, vt tyrannum scelerum, & sauiendi
 furore aestuantem, de vtraque Germania molientem trium-
 phos in conspectu vtriusque Germaniae suis ipsius exemplis
 perdas ac tollas? qui detrita, ac defatigata tyrannidis extre-
 mas reliquias tuis generosissimis conatibus est dediturus?
 arcanoque caelestis prouidentiae iudicio opibus, satellitio,
 socijs, amicis ad pereundi commoditatem exuturus? qui isti
 usmodi latronum capita adeo peculiaribus ab exordio mu-
 di addixit supplicijs, vt ne Poetarum quidem fabulosi Sisy-
 phi, Ixiones, Titij, Tantali, Salmonei e medijs scelerum cloa-
 cis ad poenas luendas abrepti sint, nisi armata ipsius Iouis
 manu, hoc est, vindicta diuina. Ad quem modum iidem illi
 sapientum omnium ingeniosissimi, quoties notissima illa,
 tam extra quam intra Graeciam monstra, sues, tauros, foedas
 aues, alatas ceruas, lernaes hydras, Geryones, Nessos, Cacos
 hoc est libertatis, iudiciorum, religionis oppressores debel-
 lari canunt, nonne soli Herculi Iouis filio, hoc est, cui iam
 forti & pio viro, qui mandato & potentia DEI adiuuetur,
 tribuunt victoriam? Sin ista obsoletiora sunt, quam vt debe-
 ant Principum auribus occini, quibus tamen nihil extat il-
 lustrius apud antiquos ad demonstrandum tarditatem qui-
 dem, sed tamen certitudinem diuinorum iudiciorum in im-
 B pios

pios, quoties humani conatus soli fiducia in DEVM se de-
 spondit, age propius accedamus ad historias, vt videamus
 etiam illic vecordissimum monstrum Sardanapalum, statim
 audito rebellionis clamore inter scortorum lanas, & palati-
 nas opes conflagrare. Alexandrum Pheræum vxoris insi-
 dijs confodi intra ipsum genitale conclaue, Polycratem in
 cruce pendere, Phalaridem strapatum ab inermi, nudo, despe-
 rato popello in medio foro lapidari. Epiphanē Antiochum
 & Sylliam à vermibus erodī. Neronem etiam percussoris be-
 neficio destitutum ad propriæ manus obsequium redigi. Do-
 mitianum prouidere quidem micantes inter se pugiones,
 nec tamen effugere fatale momentum. Quibus omnibus ex-
 emplis (nec enim pluribus ex hoc genere opus est) disertè
 monemur Deo curæ esse oppressorum innocentiam, & cum
 definitus est iniuriarum numerus, tunc quoduis etiam obscu-
 rissimum & inexpectatissimum instrumentum sufficere ad
 abruptendam sæuendi confidētiam, imò ne placere quidē
 cœlesti tribunali ad euersionem tyrannorum alia exempla,
 nisi quæ omnes vno ore confiteantur, & clamēt humanis vi-
 ribus esse maiora. Quid, quod passim obseruare licet, ita con-
 formiter diuinę militiæ stratagemata hominum oculis ob-
 iecta fuisse, vt ne tum quidem, quoties par impietas, vel ad al-
 terutram pœnam, vel ad mutandum rerum ordinē commit-
 tenda fuit, pares paribus, viribus vires cōgressæ sint, sed mo-
 dō obscure gentes, modō obscurissimi duces in potētissimas
 monarchias eruperint. Inter quos Cyrus cum opilionibus
 enutritus quid auspicij secutus est, ad obsidendam orbi formi-
 dabilem Babylonem, cum intus rex potentissimus multo se-
 curius, quam vnquam antè in media aulica libidinum officina
 nequissimè comessaretur? Cyri potestatem damnatam ad in-
 teruersionem excepit non Græcorū Illustrissimus, sed ille cuius
 non multo antè auus obscuræ Macedoniae dynasta, ne obsi-
 dis quidē seruata fide honestus, quinquennalis monarchiæ
 nepotē reliquit, ille inquam qui Persis Græcorum libertati
 imminētibus neutrisq; sentiētibus, inclinationem suam elu-
 stratus est ad vtrorumq; imperiū. Sed quæ quæso erant homi-
 nis tam

nis tam subito emicantis vires tot centenis millibus pares.
 Eccepe animos, vix vnus numerari potuit, quicum non plu-
 res ceteris committeretur ad dimicandum, & tamen tercio
 demum praelio superatis plusquam decies ceteris armatorum
 millibus, tam infinitae cataphractae exculae acies rudibus
 phalangibus cesserunt, Alexandri successores regnorum par-
 titione diuulsos, putes eo magis hostium iniurijs idoneos
 fuisse, quod etiam se inuicem impetierint, nec vnus solum
 exempli est, singulos succubuisse, quos vniuersos coniu-
 ctio praestitisset inuictos, eorum tamen nemo tam angu-
 stis finibus diadema vsurpauit, quin & opibus, & armis, se-
 riam monarchiarum vrgentibus Romanis potuisset esse su-
 perior, nisi ita fatis comparatum fuisset, vt vincendi animos
 amitterent, qui victuris adderentur. Quae res adeo om-
 nem humanum captum excessit, vt Historiae prodiderint
 centena Armeniorum millia caesa, vix septem in Romana
 acie desideratis. Parcarn Romanis, quia hoc nomen super-
 esse superi voluerunt ad extremas vsque regnorum omnia
 reliquias, ne cogar barbarissimarum gentium stridere
 commemoratione, quae ex sordidis Schytiae paludibus ad
 vastationem omnium prouinciarum progressa, profecerunt
 ad populandam superbissimam mundi dominam, transibo-
 ad illa sacris prodida commentarijs stratagemata, quae tu
 Princeps Optime tanquam vernacula plus lucis allatura
 haud dubie confiteberis ad eam causam, qua inermes, & dis-
 iecti exules cum tyranno tantis opibus & munitioibus (vt
 multi clamant, & ipse etiam sibi persuadet,) fulto commit-
 tuntur. Quod tamen priusquam faciam, illud identidem mi-
 hi tecum paciscendum est, ita comparatum esse tyranno-
 rum fatis, vt quoties exoriantur, tum nihil sit insolentius,
 confidentius, fortunarius, terribilius, postquam vero illam
 omnium successuum clepsydram consumpserunt, tum vniuer-
 sum festinatae felicitatis cursum fisti oborta animi deiectione,
 rerum omnium desperatione, aduersitate, contemptu, donec
 propriae diuinarum manu fiat victime. Quibus feriendis adeo
 raris & subitis rationibus vsu Deum ultorem tradunt historie sa-

era, vt saepe vniuersum rei gesta nomen sibi praefatus ac pa-
 ctus nullum hominibus de victoria gloriandi reliquerit lo-
 cum. Creuerat in Aegypto populus Hebraeus ex paucissi-
 mis hospitibus in eam multitudinem, cuius moles, vt sibi su-
 stinenda par non erat, nisi subleuaret manus Domini, ita re-
 gem hinc maiorum suorum obliuione, illinc nimis pere-
 grinae gentis incrementis ad funestissima consilia exaspera-
 tum in praesentissimam totius regni cladem irritabat. Po-
 terant armari sexcenta virorum millia, victoriae & ex-
 ercitati, & accensi ad reliqua, quae restabant bella duci, pote-
 rat Aegyptus dari in praedam, nisi & hospitij ius non omni
 fraudandum fuisset gratia, & promissio non illas, sed alias
 terras comprehendisset, ceterum ille, in cuius manu regna
 voluntur, inermem adhuc ac rudem suorum militiam, ne
 virium fiducia inflaret, adeo cauit, vt compilatores domi-
 norum, & vicinorum furtis multimodis suffarcinatos de
 montium verticibus otiose spectare persequentium interi-
 tum, non pugnare iusserit. Quam belligerandi se tam mili-
 te, quam duce normam, ita placuit posterorum mentibus
 inculcatam fixamque manere, vt testimonijs omnium histo-
 riarum constet, nullam Rempubl. compendiosius perstitisse
 incolumem quam istius populi, quam diu stratagematibus
 semel a caelesti Panoplia inchoatis addicta mansit, quoties
 vero praeruaricata est, tum vicissim nullam aequè expositam
 quibusuis hostibus fuisse, nullam insolentius oppugnatam,
 facilius labefactatam, miserabilius afflictam, si seruiendi, im-
 perandi, exulandi, redeundi vicissitudines, quae passim com-
 memorantur, aestimemus. Aegyptiorum interitum statim
 duorum firmissimorum Regum cladibus cumulauit, eo qui-
 dem maiore miraculo, quod inermes adhuc cum Giganti-
 bus nouem cubitorum, quorum lecti ferrei erant, cumq; po-
 pulo instruissimo ad bellum pugnassent. Nec deferbuit tam
 rapidus vincendi impetus, donec seditione, diffidentia, tre-
 pidatione incompositae multitudinis expeditio felicissimis
 auspicijs coepta eo consenuit, vt veteranorum rebus ad tyro-
 nes, qui paulatim inter castrametandi ambages educati e-
 rant,

rant, redactis, tandem præcox iuuenum paucitas fecerit lo-
 cum gloriæ DE I, quem parentes torpi perduellio ad extre-
 mum vsq; excidium suum deseruerant. Prostratis istum in
 modum immanium corporum molibus, quorum compara-
 tione vix se locustas dici potuisse confessi erant, occupatis
 vrbibus ad sydera vsq; munitis, constitutaq; politia, quam
 tamen alienos esse oportuerit, ab omni armorum præsidio
 afflictiones docent, ad quarum quasilibet occasiones statim
 deploratis animis reddita est, non humanæ, sed cœlestis pro-
 pugnationis disciplina. Scilicet enim numine prosequente
 causam, quantulum fuit momentum humanorum conatu-
 um. Ceciderunt muri ciuitatum, solo tubarum clangore, Ge-
 deon cum non destitueretur multitudine, paucissimorum a-
 ciem ducere coactus, Samsoni capillus pro armato agmine
 fuit, ad exturbandum Bethulię obsidione elatissimum tyrā-
 num vnus mulierculæ stupenda, ne dicam, absurda fortitu-
 do valuit. Samariam sola imaginatio periculi instar panici
 terroris liberauit, subinde angeli pugnarunt, nonnunquam
 & elementa mundi intactis innocentibus in solos impios in-
 cubuerunt, deniq; nunquam defuit potentiæ diuinæ euidēs
 specimen sustentandi suos, ne quo reciderent afflictī, vbi de-
 sperandi colligerent materiam, Contra quam diuersus est
 exitus vel dedentium se ad diffidentiam, vel confidentium
 proprijs viribus, vel auxilia implorantium, qualibus nitun-
 tur impij, hoc est, refugientium ad fœdera, Quam graue cri-
 men apud tribunal DE I incurrit etiam dilectus Deo Da-
 uid, quod populum suum recensuisset, quam acerbè accep-
 tum ab eodem iudice, quod Ezechias legatis hostium Isra-
 helis ostendisset thesauros suos, Machabęus cum patriarum
 legum zelo incaluisset, quantas copias, quanti hostis fudit,
 Romanorum fœderibus succinctus quam citò patuit cladi-
 bus, cum esset destitutus numine. Qua vincendi gloria, ille
 populus non solum intra sua arcana sese confirmauit, verū
 etiam vicinis gentibus eandem de se confessionem expres-
 sit. Sic Achior Ammonitarū dux Holofernē monuit, ne quid
 sibi promitteret fœlicis successus, nisi prius exploratum ha-
 beret

beret in Deum suum obsessos deliquisse. Nec dissimulauit Vespasianus expugnata Hierosolyma inspectaq; munitionum immanitate exclamare, non nisi propitio illius terræ numine se ea victoria positum. Vt semel omnia complectar, quid de iustitia bellandi, momentisq; victoriarum in suis ritibus constitutum habuerint gentium omnium, vt victores, ita quasi vltimi Romani. Extat solēnis eorum cęremonia apud Gellium, qua prius deos obsessarum vrbium euocabant quā vim vllam spe vincendi admouendam ducerent, palam nimirum agnoscentes nō viribus, sed causis esse victorias querendas, idēq; Deo duce. Quoniam igitur constat Deo placuisse non solū illam iustitiam, quę credentibus per Christū impurata ducit eos ad societatem, & hereditatem cęli, verū etiam omnem illam, quę cum reuerentia diuinę alicuius eminētię, quam gentes omnes amplexę sunt, amatrix est æquitatis, modestię, continentię, ordinis, quę odit inæqualitatem, iniquitatem, insolētię, vim, libidines, confusionē, sique ea religio hominibus in medio vmbre mortis (vt inquit Propheta) natis persuasit, ne ijs quidem viribus fidere, quibus maximē prævalerent, quid obstat, quo minus huic pietati nos mordicus acquiescamus vel coacti, qui, vt videtur, rebus omnibus cum patria exuri, nudisque exilijs afflicti, atque prostrati arma, quę volebamus, comparare non possimus. Sed sint obsoletiora, non solū Assiriorum Persarum, Gręcorum, Romanorum, verū etiam illa exempla, quibus (si quis historiarum vsus est, quas specula humanę vitę ausus est appellare Cicero) clarius ipsa solis luce constat, ab exordio vsque mundi emicuisse vnum stabilem diuinę gubernationis tenorem, qui semper eandem regulam admouerit, vt tuendę oppressorum innocentię, ita vindicandę, idque inusitatis, & incredibilibus exemplis violentorum tyrannidi, nostros fines, ne dicam domos ingrediamur, suppeditebunt nobis oculi, atque aures testes, quidquid ad æstimanda omnia ea consilia, quę patrię recuperandę causa agitantur, sufficiat. Tuque in primis Heroum omnium inclytissime de altis speculis maiorum tuorum quę nūc tibi

tibi nobiscum profugo asylum præbent in tuam istam Ger-
 maniam (quæ ut quondam omnium gentium pene mater ex-
 titit, ita hand dubiè regnorum totius mundi periodus est,)
 prospice, omnia illic incurrent in omnem sensum, quæ per-
 plexum difficultatibus animum tuum extricent, erigant, du-
 cant, constituent atq; confirmant. Quinquagesimus quartus
 agitur annus, ex quo Germania relucens Euangelij dissi-
 dijs fluctuare cœpit, causa pijsissima obscuris ac prope despe-
 ctis initijs emicans, cum præter opinionem celerius conua-
 lesceret, concitauit in se totius Sathanici regni odia, quæsi-
 ta sunt pacis publicæ conditiones æquissimæ, ut sine mutua
 iniuria pars vtraq; relinqueretur suis conscientijs, in ceter-
 is rebus, quæ ad Imperij, Rempublicam pertinerent, con-
 seruaretur concordia. Cùm hoc tot comitijs, conuentibus,
 colloquijs, supplicibus libellis, arbitris, patronis, precibus,
 obsequijs, obtineri à Cæsare non posset, difficultas illa haud
 immerito visa est insidias alere, ac quærere, (quod exitus po-
 stea docuit) doctrinæ indies per Europæ regna vires car-
 pentis opprimendæ oportunitatem. Quibus tam nefarijs
 molitionibus ut occurreretur, dijs superi, quàm grauiâ, con-
 stantia, animosa, quot Regum, Principum, municipiorum,
 quanto tempore, quantis opibus, & armis stabilita fœdera.
 Deuentum tandem est ad bellum, videbatur Carolus impa-
 ratus vel dentibus, nedum armis confœderatorum concer-
 pi potuisse, quis fuit tandem exitus? an non quasi turbine
 itum est in defectiones? duces tantorum apparatusum venê-
 re in potestatem, confœderati mulctati ut ingentibus pecu-
 nijs, ita speciosissimis instrumentis bellicis, quæ etiam nunc
 in Hispania ad æternum Germaniæ ludibrium ostentantur,
 deniq; parum abfuit, ut vincendi tam facilitas quàm celeri-
 tas victori epinichij ius suppeditaret, quod est in Iulij Cæsar-
 ris actis, Veni, vidi, vici, Potitus victoria non quemuis for-
 tunæ suæ vsum quærebat victor, cùm hoc in votis habe-
 ret, non solum ut doctrinam tanquam belli iure captam
 extingueret, verum etiam, ut abrogato totius Imperij
 Statu supremam ac liberam potestatem hæredibus suis
 ad

ad successionem efformaret, hoc tam securè publicis comitijs per suos agitabat, ac si de suo ei peculio statuendum fuisset, tam patienter alij spectabant, vt non victi sed vincti ad esse videri possent. Vndè igitur ista quæso tam subita tantorum spirituum consternatio, vndè fœderis vt pijsissimi, ita opulentissimi, & instructissimi diuulsio, armorum disiectio, deniq; totius coniunctionis dissipatio? Nondum ingressi erant fabulam, qui requirebantur ad plausibilem catastrophephen, alijs actoribus opus erat, alio theatro, alia etiam scena, quibus inuentis quam facilem, quam expeditum, & inexpectatum induxit plausum ille supremus choragus? Nimirum diuersissima statim exorta est rerum ratio, cum opibus substitueretur (dij boni, quam clara numinis prouidentia) mera paupertas, munitionibus ruinae, cataphractis inermes multitudini paucitas, toti Germaniæ vna ciuitas, eaq; vt paulò antè ciuium optimorum clade consternata, ita post suburbij & pomerijs mutilata, quæ vniuersam illam triumphorum molem sola exciperet, sustineret, ac retunderet, deniq; confisis de victoria parentibus adolescentes, parentibus captiuis non modo orbi, sed & duplici cura ancipites, quod facilius esset statuere de mortuis, quam de ijs, qui essent in potestate hostis, illi inquam Generosissime Heros nobilissimæ Heroinæ vxoris tuæ auunculi, qui à fortissimi spiritus Principe Mauritio socero tuo tanquam in tutelam suscepti, præterque omnem hominum spem ab Henrico Galliarum Rege in speciem ostentante exercitum adiuti, circumductos per vtriusque Germaniæ spectacula victos inuito victori extorserunt, imperium paulò minus quam ad perpetuam seruitutem, mancipatum pristinae maiestati vindicauerunt, Euangelio non solùm libertatem, vt antè, periculis expositam reddiderunt, sed & perenni pace sanxerunt, ac stabiluerunt, cogitationes omnes, atque consilia præteritarum insidiarum vel sustulerunt, vel certè ita consopiuerunt, vt nunquam, nisi manifesto perfidiæ scelere sint reuigilaturæ. Atque hæc est tandem arcanarum omnium vindictarum illustrissima periodus, quibus **DEVS** ad hæc vsque nostra tempora

tempora per omnes mundi gētes à primis vsq; rerū rudimē
tis iustitiā iniquitate & violentia tyrannidis oppressam ere
xit, solatus est, & asseruit, quæ vel vnica sufficiat ad discutie
das omnes cogitationes istas, quibus cum tuam paupertatē
solitudinē, paucitatem, cum nescio quot capitum, opum, ar
morum Geryone confers, tantū belli conficiendi rationibus
te destitui imaginaris. Non enim Vir Optime hic copiar, o
pes, vrbes, portus, regnorū latitudo, subsidia supplemento
rum, artes regnandi diuturnitate inueterata, fœdera hostiū
pondus habent ad te deterrendū, sed causa ipsa suam adfert
maiestatē ad confirmandos diuinitus illos animos, qui con
tempo omni istiusmodi apparatu sola manu Dei ducentis
inuadant victoriā. Quod vt extra omnē scrupulum sic te
cum constituas, si nondum sufficiunt tam longe petita pere
grina, tam prope domestica exēpla, age confer tandem rem
totam cum vnico illo lapide Lydio, qui apud Euangelistas
nostros omnia indicat, ostendit ac definit, confer cū regnis
totius Europæ, cum regibus ipsis, cum suffragijs eruditorū
virorum, cū spiritu eorum, qui in Ecclesijs docent, confer cū
scriptis, cum controuersijs & contentionibus, quæ exortæ
sunt & dijudicatæ totis hisce quinquaginta annis, imo (ne
quid desideretur) confer cum tot comitijs, comitorum deci
sionibus, promissis, pactis, sanctionibus, quibus nec fides v
trinq; data, nec iusiurandū abfuit, quoquo te conuertes, om
nia conueniēt, vt intelligas eam esse belli causam, non quæ
priuatam aliquam, eoq; nomine illicitam, irritisq; euētibus
infaustam præ se ferat vltionem, sed quæ iustissimam nunquā
violandarum legum, antiquæ, agnataq; nobis Germanicę li
bertatis, fidei vtrinq; obligatæ, & (quod præcipuum est) in
corruptæ religionis, quæ omnibus consciētis iure cœlitus
indito debeat, expleat assertionē, quæ definitū habeat di
uini verbi mandatum aduersus eum hostem, qui vt iam dudū
nullo non scelere coopertus ad cœleste tribunal omni legi
timo magistratu stat exitus, ita certo certius ad debitam tot
rapinis, periurijs, & cędibus propendet pœnam. Ad quā exe
quandam si quid aduersis istis tam tuorum, quam aliorum

C piorum

piorum conatum casibus, quos aliquot locis experti hactenus sumus, fati inesse suspiceris, quo te posthabito alium videantur quærere numina vindicem, cui debellandæ istius horribilis lanienæ decernant gloriam, mihi crede, si quid humanæ menti inest præsagij, quo intentius ad excutiendas istiusmodi suspensiones te acues, eo facilius, libentius, & constantius apud te decernes insidiosissimas illas imperialis Reipublicæ per Germaniam tempestates, quas illic, (ut dixi) Papæ nefando impulsu Carolus Euangelij causa ante annos plus quam viginti concitavit, re vera lucidissimum fuisse speculum omnium eorum, quæ nobis per Belgicam nostram & superuenerunt hactenus & posthac sunt expectanda. Attendat quisquis mentem habet, Vtriusque gentis eadem causa est, utriusque Germaniæ, eadem fata, eadem actio, eodem chorago, eundem exitum promittit. Catastrophe illic nostram in Protasin desijt, fœdera fœderibus exitu æquata, vires utrobique non hostium potentia, sed proprijs defectioibus fractæ, ducum illic vnus bello, alter dolo superatus, hic duo primaria fœderis capita, contra omnne ius patriæ, contra eius ordinis leges, de sacris mensis in carceres detracta, illic, si huius tyranni sanguinarijs consilijs obtemperatum fuisset, ambo capite truncandi, hic, quod rege absente commodum esset indulgere furori, uterq; truncatus, illic pœna constantibus & immeritis decreta, hic forsasse si non meritis, saltem incautis irrogata, Principum alij illic turpiter elusi, & promissis circumuenti, alij ditionibus suis eiecti, multi grauibus pecunijs emuncti, ciuitates atque arces tam munitioibus, quã opibus eneruatæ, ministri verbi Dei impiè ad exterminium redacti misero populo exilium in patria ipsa reliquerunt, nos omnibus possessionibus exacti vitam alieno beneficio, vel per exilia trahimus Leberide nudiores, vel, si fugere non licuit, furori, ac libidini latronum impendimus, utrobique tanto grauius affligimur, quanto maiori ignauia, mollitiei, luxui, securitati insueueramus, qui illic causæ iniquæ nauarant operam, idq; vel militando, vel alias obsequendo, non quam gratiam reportauerint

uerint, sed quas pœnas irato numini dederint hisce oculis
 vidimus, an hic mitiora expectanda putabimus ijs, quibus
 nostra calamitosissima exēpla sunt voluptatis qui exilia no-
 stra plusquam Caucaſea inhumanitate ingeminant, aut cer-
 tē ita dubia reddunt concessa aliquamdiu hospitia, vt præ-
 staret, vel sub dio errare, quam tali terrore ad quēuis auræ
 flatū angī. Dabis ne mihi vt quiddam non insolēter quidem
 sed tamē verissimē, atq; eo fortē odiosius proferā: qui eo bel-
 lo, vt præcipuas partes egerunt, ita non leue momētum at-
 tulerunt hosti ad victoriā, duo soceri tui fuerunt, qui si inta-
 ctī ab aliorū casibus tum discesserunt, an nobis extra crimen
 apud te esse non licebit, si imaginemur, occulto aliquo fato
 fieri, vt nunc tandem motibus hisce Belgicis ea Nemesis e-
 rumpat in ipsorum nepotes? at non difficile esset proferre
 cuiusdam nobilissimi viri nomen, qui, cum à Maximiliano
 tuorum liberorum auo, cui eo bello damnatus erat in præ-
 dam, fortunas suas paulò pluris quàm æquum putabat redi-
 meret, dixisse fertur, fore vt eandem ob causam eius nepotes
 in posterum multo grauiora incurrerēt mala, nec aliam ab
 exotica tyrannide, cui eam nauasset operam, reportaturum
 mercedem. Sed absolua cognati populi cognata sydera,
 ne sola præterita obseruasse videar, quod solent, qui tempo-
 ris subsidio ad adulandum se componunt, sed etiam futura
 præſagisse. Illic vno extremo impetu acerrimus monarcha
 ita heberauit tantæ spei, tantarum virium atque opum aci-
 em, vt postea vix sanæ mentis, fortunæ & imperij retinuerit
 vestigia, nec hic actio funestissima finem alium habebit, quā
 vt filius pertinacissima ista theomachia vniuersæ maiorum
 suorum hæreditatis veniat in discrimē. Vis vt finē imponā
 vaticinijs, quibus res hæctenus gliscētes manifestissime præ-
 ludunt? Quemadmodum illic focer tuus, cum animaduertif-
 set se dolo haberi, errorem suum, quisquis ille fuerat, in ca-
 put autoris conuertit, nec destitit, priusquam vniuersam o-
 mnium eorum cōsiliiorum, quæ tam religioni, quam impe-
 rio imminebāt, lernam præcidisset, ita in fatis tuis est, in quē
 hæreditas fortissimorum istorum laborum deuoluitur.

C ij vt istum

Hoc omne
 euasit ce-
 de Pari-
 sienti.

vt istum tyrannum vinctum & catenatum per vtrancq; Ger-
 maniã spectaculo omniũ hominum, quos vel terruit, vel af-
 flixit vnquam, circumducas. Quæ si tu aliena ab ista nudita-
 te tua suspicaberis, quã diu cum tam horribili patriã op-
 pressione, cum tam infinitis tyrannidis exẽplis, tam multis
 aduersis casibus, tot irritis conatibus, tot tantã nobilitatis
 cadibus pugnare videbuntur, paulatim tẽpus ipsum ita vol-
 uet harum rationũ cardinẽ, vt velis, nolis fateri cogaris om-
 nia ista quę tibi tam arduarũ rerũ gerendarũ obstacula nunc
 videntur, euidentissima esse præparamenta, quibus & ipse te
 accingas ad illã toties nobis ingeminatam victricem pauci-
 tatẽ, in qua sola potentissima manus Dei locũ inueniat confi-
 ciẽdi latronis, qui mere cœlestibus destinatus sit telis. Quod
 cum ita sit Heros generosissime, quid illa victoriarum præsi-
 dia quæris? quæ, ne quid nocerent, procul abs te remouit in-
 effabilis Dei prouidentia. Finge vero vniuersam illã tumi-
 dam nobilitatem, quæ ignauis nominibus ante quinquen-
 nium impleuerat tabulas fœderũ, finge illam populi applau-
 dentis rerum magis nouitati, quã pietati superesse, aut etiã
 ad manum esse multitudinem, quę tunc votis sidera ipsa pe-
 nẽ per rumpebat, an aliud momentũ adferẽt, quam tũc, cum
 periculosissima corona te tanquam Actõnem quempiã cir-
 cumstetissent Antverpię? cum vi intentata irent in diuersas
 acies? cum pugnantia vota, voluntates, conatus, tumultus,
 ambitio, rapacitas, furor illam extremam desperationem ac-
 celerarent, quæ non aliud remediũ inuenit, quã exilium
 quod longa anhelatione istos spiritus restingueret. Tribu-
 unt cuncti eam tibi prudentiam, qua nulli hodiẽ regnantium
 sis secundus, experientia multorũ euentũ docuit, te vnum
 sublatis multis alijs, ad grandia rerũ molimina seruari inco-
 lumem, fatentur omnes, vt insignẽ pietatem tuã, ita incõpa-
 rabilem patriã amorem, sed sic tamen, vt multi ad hoc intel-
 ligendũ adducti nõ sint, nisi serò mutatu sententia, postquã
 experti sunt inuitis se votis eo detrudi, qui hætenus pessi-
 mis ominibus suis laudatissimos conatus tuos suggillarunt.
 Et tamen postquam ad hanc tibi tribuendã personam ægrẽ
 adducti

adducti sunt, an quidquã detrahunt illis ingenijs suis quæ se cum ex omni vitiorum cloaca extulerunt? Adeo nihil ad institutum tuum pleriq; conferunt vel opis, vel operæ, vt potius illos, qui id faciunt, contemnant, oderint, prodant, tradunt, homines scilicet, (quod passim re ipsa declarant) nasuti, curiosi, molles, effœminati, suspiciosi, omnia interpellantes vicissim neminem audientes, arcanorum scrutatores, subtilissimi, somniorum, quæ suis ipsi coniecturis confarcinant interpretes, figmenta sua pro oraculis etiam literis illinunt, ad speciosa mendacia modo temerè erecti, modo ad qualibet è vitro fulgura vicissim exanimati, audaces patriæ vsurpatores, auari eiusdẽ desertores, qui sapientissimi videri volũt, partim nauticis excursionibus, partim institorijs peregrinationibus tumidi, vsurarũ quibus etiã nunc impẽsẽ inrenti sunt, axiomata omni gloriæ tractatæ Reipublicæ emeritæ militiæ, literarum, ac disciplinarum ornamentis potiora ducunt. Si deliberandum sit, soli fatagunt, blaterant, strepunt ante alios, quod non intelligunt, calumniantur, pertinacia & auaritia pro sanctimonia, & pietate sunt, vt quod ipsi recusant, in alijs quoq; si non persuadendo, saltem obstrependo impediunt: Quales cùm sint, obsecro, qua parte rerũ tuarum locum habere velis? Sed illos fœderum symmystas sanctius scilicet religionis patriæq; salutis accendit studium, quo meliorem tibi fidem seruarent. Cur igitur pars magna apud hostem peierando deprecati sunt culpam? cur quidem à castris tuis abstinuerunt? cur non pauci, qui signa tua secuti sunt contemptu omnis ordinis ac disciplinæ bellicæ, (quod scilicet suo sumptu militarent) reliquis, qui sacramẽto tenebantur, offendiculo potius quam adiumento fuerũt? cur primi signa deseruerunt? cur ne nũc quidem quisquam ad nauale bellum se offert? cui quidem superest, quod turpiter in otio viuendo prodigat? Qualibus hominũ moribus si rebus tam exasperatis vt tunc erant, vel retinere patriam, vel nunc reddere vno nutu tibi concessisset quispiam nostris populi ignarus Iupiter an optares? Credo experientia transactorum tumultuum fateri cogeret, multo expedisse,

vt ex

ut exiliorum prorogatione effrenes animi mitescerent, tur-
 bulenti defecarentur, præcipites semel sifterentur ad matu-
 ritatem, & patientiam tolerandi imperij, quam ut pristina va-
 stitas omnem necessariam constituendæ Reip. rationē, atq;
 ordinem denuo exturbaret. Quis nõ oppida suis meritis, ar-
 ces, præfecturas, magistratus, dominia virtutibus & anathe-
 matifandi fulmen & imperium sanctitati deberi contende-
 ret? quis non nouum aliquem Pontificatum tiara, pedo, atq;
 insula, (quæ nunc detestamur,) exornaret? quis expectaret do-
 nectū conferres? aut dares? ac non potius suo sibi summo
 iure nullo censore agnito vendicaret, inuaderet, raperet?
 Itaque non est quod deplores eorum, quorum de salute no-
 ctes atque dies cruciaris tibi vel arcas defuisse ad sumptus,
 vel corpora ad pugnandum, vel animos ad sustinendam om-
 nium malorum communionem, cum certo credere debeas,
 arcana DEI voluntate omnem ipsis materiam præcidi, ne
 quem vnquam fœlicem reditum suæ vel virtuti, vel liberali-
 tati, vel consilijs, vel sanctimonix acceptum ferant, sed tuis
 potius fatis, cui soli ea gloria decreta sit. Nolim hæc ad in-
 iuriam eorum pertinere, qui iamdudum fortia quidem, sed
 infortunata aliquot stratagemata fideli imbuerunt sanguine,
 quorum virtuti sempiterna debentur encomia, absit ut &
 illos criminer, quorum de rara fide, largitate & pietate ut-
 cunque constat, sed hoc dico, huc ire deos, ut cum syncera
 tui beneficij agnitione tam multis exprimant, vel temerita-
 ris, vel ignauix, vel auaritiæ, vel etiam perfidiæ confessio-
 nem, quo minus in posterum sibi indulgere ausint vllam
 vel interpellandæ religionis, vel legum pro suo arbitratu
 constituendarum importunitatem. Quod certè à tanto a-
 nimorum tumore, quantus hætenus omnes modestiæ li-
 mites perripit, nunquam impetrari potuisset. Ad quam
 deorum immortalium de te curam & illud pertinet, quod
 nuper ciuitates deditioibus non sint interceptæ, nam ta-
 met si non ignoremus in armis tunc stetisse tua subfugia, quæ
 statim (quãtum quidem per tempestates fieri potuisset) opẽ
 tulisset.

tulissent, tamen in confesso est illis exasperatissimis tempe-
 statibus, quas superior hyems attulit, eatenus distineri po-
 tuisse subuentionem, donec malitiosorum conspiratione
 beneuolentiã dedentium fatigante, recens victoria ad gra-
 uiores calamitates fuisset relapsa. Nullam enim moram
 patiuntur ciuiliū motuum impetus, & ita est populus, vt
 vno momento concors sit ad furorem, altero discors ad pœ-
 nitentiam, consternatus ad periculum, & mille modis
 dans insidijs locum. Alioqui quod ciuitatum cunctationi
 obijciatur, non tantum est, quantum quidam criminantur,
 quæ, si ne tunc quidem, cum traiccto Mosa validissimum
 exercitum ostentares sub signis, transitionis significati-
 onem vllam dederunt, res ipsa docuit, eas copias neque ad-
 motas vsquam fuisse, & tibi tunc eius belli prosequendi non
 tam defuisse facultatem, quam consilium. In quo etiam
 suscipiendo vide, si libet, quantopere tuus ille fatalis genius
 non solum communibus nostratium votis, verum etiam pe-
 ritissimorum ducum, ac militum repugnarit rationibus, O-
 mnes, qui tum intelligere aliquid viderentur, in ea erant sen-
 tentia, vt iudicarent, non mediterraneis Brabantia inferen-
 das copias, vbi grauis equitum peditumque armatura vel
 præsentissimo periculo committeretur prælijs, vel intolera-
 bili sumptu circumduçtaretur ad captandas victoriarum
 occasiones, sed maritimis prouincijs, quæ, vt nauibus, diu-
 turnoq; comæatu abundarent, ita facili momento receptæ
 multo oportunissimam & tutissimam essent daturæ belli se-
 dem. Nec fallebantur, qui non tam opinandi ambitionem
 (quod tunc accidisse constat multis) quam nostratium re-
 rum peritiam adhibebant in eam deliberationem. Sed te
 tua fata quanto meliori compendio ad succidendas in vni-
 uersum istorum malorum, quasi serie coherentiū causas in-
 uitabant Nimirū nisi tuæ illæ tunc inuictissimæ acies spar-
 so per Galliam terrore impiorum conatus distinuissent, fœ-
 ratisq; non solum colligendi sui subministrassent commo-
 ditatem, verum etiam consecutæ tandem fœliciter pacis ie-
 cissent fundamenta, quanta cum difficultate extremis Ocea-
 ni litto-

in littoribus, etsi munitis sustinuissimus Antichristum ut Gallicis victorijs tumidum, ita totam illam Sathanæ, Papatæ, Regum, Ducum, Principum, consarcinatam hydram in nostra vix dum occupata asyla effundentem. Confidenter dico, ex illa sola expeditione pependisse totius Euangelij per totum Christianismum (qui dicitur) felicitatem cuius ad nostram istam causam, quæ etiamnum deploratissima videtur tantus emanarit fructus, quantum nulla victoria vel de tota Belgica largita fuisset. Quam tamen postea multi, qui vel inter primos tua arma secuti sunt, ut inutilem, & proditione, aut saltem imperitia corruptam, calumniari non destiterunt, illi tamen, qui exitum æquis rationibus æstimarunt, facile intellexerunt, quanta clementia numinis, quanta prudentia tua illa gravissima armatura contra tantas immitissimæ hyemis tempestates per alienum regnum sine pecunia, comœtu, impedimentis seditioe sustentata Bipontini Ducis recentibus copijs viam aperuerit, qua ad socios extremis periculis circumfusos est peruentum. Vides igitur Vir præstantissime tot aduersos casus, irritos conatus, consiliorum interualla, non ad tuam desperationem pertinere, sed ad laborum, ac periculorum exercitia, quæ longa meditatione nobis ducem reddant omnibus numeris absolutissimum, qui se ipso tandem doctior redditus, volens, nolensq; longè aliàs quam sperarat belli leges ex ipso hoste discat atque accipiat, qui sciat cum eo sibi rem esse, non qui de imperio contendat, sed de exitio, qui sanguinem atq; animam querat, qui non militis, sed carnificis personam adferat ad conflictum, qui neq; equitati, neq; humanitati, neq; legibus militaribus quidquam concedat, nisi ut vel perdat, vel pereat, deniq; qui eam necessitatem demum imponat, quæ te nec dare, nec accipere ullam pacem nisi alterutrorum interitu definitam sinat. Quam insaniam si vnquam vllis moderatis conditionibus conquieturam speras, idq; vel precibus tuis daturus deos, ut lenitatem tuam tot iniurijs exasperatam compescas, quo minus extremum omnium, qui nefando capiti adhæserunt, quam seuerissimis exemplis

emplis vlciscaris, falleres ó bone falleris, totoq; erras cælo
 Othionum posteritati portenditur istius funestissimæ tyran-
 nidis excidium, huc comparatæ sunt per nobilissimas Ger-
 manicæ familias tuæ rot agnationes, atq; affinitates, nihil mo-
 derati est quod posthac exigunt irati superi, iacta est alea fa-
 ti alterutrum mensura caput. Facebant illa, quæ hæctenus
 dubiam distraxerunt mentem, cum cauendum scilicet reli-
 giosius, quam impia necessitas ferret, nimia sollicitudo vr-
 geret, ne amitterentur scilicet Hispaniæ commercia, ne tua
 vehementia filius veniret in periculum, ne quo præceptis
 res, quo te causæ limites ire non sinerent. Cogita omnem
 hanc curam tandem ab hoste insanissimo sublatam, qui post
 quam semel vno impetu omnes tam diuinarum, quam huma-
 narum legum terminos effregit, quibus te obsecro legibus
 deuinctum reliquit? Quid tu tandem illis parcendum putas
 qui tuorum pepercerunt nemini, quid belli iura defers, post
 quam illi in tuos etiam feciales, nedum milites grassati sunt
 suspendio. Absurdum est, qui in tuas, tuorumq; manus inci-
 dant, milites haberi, tuos vicissim pro furibus, latronibus,
 parricidis, laqueo, rota, equis, flamma torqueri. An vis vt il-
 li inaudita crudelitate terribilem reddant dominatū suum,
 tu inuili lenitate tam militibus, quam hostibus causam tuā
 exponas contemptui? Quin potius eo rem recidisse statuis,
 vt quo mitius ages, eo deteriore causa videaris ducere exer-
 citum, quo durius, eo compendiosius te consecuturū victo-
 riam confidas. Qua semel inchoata, omnes qui libertatem
 optabunt, ea alacritate atq; impetu prouolabunt, quo ante
 quinquēniū ad vnum supplicem libellum à nobilitate ob-
 latum, vel ad astra conscēdenda prouerunt, rapiunt te ipsi
 successus, quo minimè sperare ausus sis, coincident eodē mo-
 mento omnes illi scrupuli, quos dixi, qui torpedinum in mo-
 rem detinere ancipitem solent animum, dedēt se ad meritas
 pœnas, quos nullæ satiarunt pœnæ, petent veniam, qui veni-
 am negarunt, recuperabis filium iisdem conditionibus (nec
 enim aliud in fatis est) quibus vxoris tuæ auunculi parentē,
 socer tuus liberorum tuorum proauum recuperauit. Imo

D redibit

redibit humeris Hispaniæ reuectus & ni reuehatur, esuriēt
 Iberorum littora, donec reddito pignore, tyrannicæ perfidie
 delicta sint, & illic expiata. Non est quod te hic iterum
 deterreat vel ipse rex, vel vlla exotica potentia, epitalis acti
 onis coget de multis rebus longe aliter statuere, quam op
 tasses initio, cum legum ac legitimorū iudiciorum spes hæ
 reret animo. Quocunq; fereris, ne tergiuersandum puta, nu
 mina sunt, quæ etiam inuitum stimulant, ne cui cœlitus da
 mnato percendū duceas, caue te recusante aliū inueniant, cui
 decreta in damnatissimas ceruices demandēt exequendas
 pœnas. Ac vide quæso quo loco tandem pollutissimū Latro
 nis res sint, qui pridē confusus fore, vt ope sententiarum vi
 tio conquisitarum comitijs, Imperialibus te proscriptum te
 neret, cōtra spem omnē, quam de multorū obsequio cōcepe
 rat, decretis omnibus dānatus sit, qui opibus, ac viribus oc
 cultorū fœderū nixus cūcta Christiani orbis regna ab se aba
 lienarit, qui Venetos prodicione irritarit, Gallos perfidia,
 Germanos memoria nunquam obliteranda iniuria, Daniā
 & Suetiam promiscuis decennalis belli instigationibus, An
 gliam & Scotiam procuratis parricidijs, cui per Italiam sup
 plementa omnia distinet fatalis Turca, per Hispaniam cog
 natus, eoq; infensior Maurus, qui iugulatorum Antverpiæ
 Germanorum, peditum sibi conscius, ne ausit quidem de ha
 bendis in Germania nouis delectibus cogitare, quem, vt ve
 lit conscribere militē, senilis auaritia non sinat extortā pro
 uincijs pecuniā arrogare, cui Hispanicus fastus, ac præcipuē
 filiorū prodigalitas ex tantis exactionib; n hil fecerit reli
 quū, qui ad eā paucitatē redactus sit, vt ne vni quidē vtcūq;
 firmę arcis obsidēdæ par esse possit, deniq; qui ne vllū quidē
 inter sordidas suorū reliquias ducat opilionē, quæ non oc
 cultū aliquod contagū eroserit, ac bello inuilit reddiderit.
 Da verō clam alibi tribunos autoramētis teneri, in præoptu
 esse quas euocet copias, qualis bello dux sit, quis quā tu me
 lius nouit? qui & commilitonē aliquando obseruasti in Ca
 roli castris, & hostē nuper adortus es in sua harena, vbi cum
 locus ipse suppeditaret audaciā, non prælio te excepit vt de
 cebat

cebat veteranū Imperatorē, sed pro mil. tū gladijs fossorum
 ligones opposuit. Quam diu etiam se collegerit, quantū tē-
 poris consumptū sit proferēdis signis, parādo cōmeatu, mo-
 uendis impedimēris, antequā in fratrem tuū duceret, quis non
 admiratus est & risit etiā? Septē integrę perierant hebdoma-
 dæ contrahēdis vndiq; vel minimarū vrbiū p̄sidijs, tranſciē-
 dis fluminibus, pinsendo, obsonādo, coquēdo, donec miles
 insuetus palustriū, & interfossorum locorū perueniret, non
 tam ad ipsam belli aleā, quam ad p̄sentissimū periculum.
 Quę res, si militiæ peritis æstimanda proponatur, nemo fue-
 rit, quin stultissimi fuisse exēpli sit pronuntiaturus, nudatis
 omni p̄sidijs tot iniquissimē affectis prouincijs hostē in
 extremis regnorū quęrere angulis, qui si vel vno distindæ
 multitudine stratagemate senilē laruam aliquādiu eluisset
 quantā defectionis commoditatē suppeditare potuisset, rel-
 ctis à tergo Brabantię mediterraneis. Quid si enim illa iner-
 mis quę petebatur, paucitas ab errore abstinuisset, atq; sta-
 tionem interluuionibus aquarū satis munitā tenuisset? Quid
 si facto globo temerarias diuersarum gentiū turbas excepis-
 set, an nullus fuisset Mars delectatus ancipiti arbitrio victo-
 riæ? an non potuisset idem euenire aleę iactus, qui ceciderat
 Arenbergico? vnde tāquam à filo pepēdissent cętera omnia,
 quę vsurpatum sanguinolentissimus Busris venerat. Sed a-
 ge excutiantur omnia eius acta, quęcunq; vel in Galliam,
 vel Italiam, vel Germaniam intulit, quid proferes, quod non
 ignauum potius cunctatorem, insidiosum latronem, trucu-
 lentum carnificem, quam fortem belli ducem exprimat. Post
 quam igitur dñi superi ea cura complexi sunt causam tuam,
 vt commodorum nihil deesse, obstaculorum nihil superesse
 videas: hoc est, postquam ea gratia es, vt furiosissimus car-
 nifex insidias proximis comitijs ad te damnandum structas
 in suum sit coactus recipere caput, vt penē totius Imperij le-
 gati atrocitatem tui tuendi professi sint, Gallia, cuius op-
 pressæ moles in te vibrabatur, pacata sit, Turca armetur in
 exitium eorum, qui mendaci fœdere protrusis ad impar bel-
 lum Venetis clipeum quæsiuerunt, quo ipsi in tuto essent,
 Donec


donec Mauros in Hispania commode oppressissent, Euāgelicos in Gallia & Belgica, postquā etiam spes est nihil profecturos, qui decreta pridem Comitij in odiosissimū vastrorē facta clancularia perfidia conantur, si non euertere, saltem eludere, age, tandē rumpe ista cunctationis repagula, semelq; tibi persuaderi sinas, non tam de belli vel sumptibus vel apparatu cogitandum esse, quam de victoria. Faceat prudentia, quæ fortitudinem periculorum contēpticem nīmio deliberādi torpore remoratur, ac restinguit. Dñi fortes adiuuant, quibus quisquis non credit, nisi signatis (vt ita dicam) tabulis pro felice exitu fideiubeant, irritat, offendit, auertit. Satis optatum promittit euentum causa cum diuina voluntate consentiens, ex verbo omnipotentis Dei nata, iustitia, æquitate, pietate, cunctis amabilis, nisi qui semel violatis dñis, religione superis atq; inferis, damnosæ pertinaciæ atq; execrabili blasphemix succubuit. Non omnis cūctatio prudentia est, sed subinde & ignauia, nec quæuis leuitas est virtus, sed indulgentia delictorum, & neglectus pœnarum, quas meruerunt ad exitium suum impij. Nisi talpæ esse velimus, studia Christianarum nationum, quæ etiam extra causam sunt nobis applaudunt, tyrannum detestantur, beneuolentia Comitiorum, desidia tyranni, latronum paucitas patria vniuersa extremis cædium, libidinum, exactio num, rapinarum concussionibus exasperata protrudunt nos ad vindictam, docēt non esse amplius desperabunda tergiuersatione protelandum ad ferendam opem Deum. Exponit ille nobis hostem, ita inermem, vt vix sordida, strigosaq; furum trahat fragmenta, cur nos velut tota lemno. cataphractum exhorrescimus? vocat ad fiduciam cœlestis panopliæ ille, qui semper pios erexit, impios prostravit, cur spem nullam admittimus, nisi omnia Sarmatarum stabula vacuentur equis, Germanorum officinæ armis? Vocamur à ciuitatibus nil aliud quærentibus quam mediocria deditio num fulcra, quæ vt cunq; subueniant ad tolerandas subitas exclusorum incurSIONES, quid castra, commeatum, impedimenta machinas fingimus? imo inuitamur ab amicis, cur filios Enacim, vt illi
olim


olim quadragenarij perduelliones, imaginamur? quos incredulitas in itinere attriuit, ne vnquam maiorum suorum sedes attingerent? Nunquam res magnas geret, qui nimis anxie deliberat, praesertim vero quae deos habent autores non disputanda, sed aggredienda veniunt. Nimirum cunctando amittitur occasio, pugnare oportet, non consultare, quibus vox Dei pro classico est. Sed vbi belli sedes, inquis, vbi castra metabimur, sustinebimus hostem, vnde educimus, quo redcemus acies, quis aperiet, quis recipiet? (illi ipsi, si dubitas) qui ante bienniū vel copiam recipiendi tui (quod illac non duceres) non habuerunt, vel si habuerunt, quod nihil grauius moliturum sperarent tyrannum, liberalem seruitutem periculosa libertati praefendam duxerunt, qui nunc tandem de facultatibus, sedibus, & sanguine suo actum esse experti sunt, qui iam dudum illius in te magnitudinis grauissimas dant poenas, qui tot afflictionibus expiati adorant te liberatorem suum, opemque implorant. Quae iniuria nisi a crudelissima belua illata fuissent, nunquam illi deterfissent illum conceptum de tuo negotio errorem, quem nunc nimis, qui tunc nullus erat, malorum sensus in summam erga te gratiam, cum tyranni irreconciliabili odio conuertit. Quorsum igitur opus querendis deditioibus terere tempus, idque praesentissimo procurantium periculo? quippe qui nec singulos, nec omnes nisi prodantur, prensare possint, quique tempus extrahant venandis occasionibus. Quin potius illae ineuntur rationes, quibus tutae praestentur siue spe erectis siue metu percussis deditioes? Quid opus est ambagibus, quoties conpendium in promptu est? Credo enim etiam illa, quae superiori hyeme tot laboribus, sumptibus, & periculis agitata fuerunt, non tam per eos, quorum deditio quaerebatur, quam per nos, qui dedentes recepissemus, deditosque conseruasse mus, stetit. Ne vero ad istas tantas res apud te definiendas, quempiam ex enthusiastarum latibulis prorupisse existimes, qui, quo tam auaritia, quam ignauia suae praetextum inueniant, modo nihil Euangelio cum armis conuenire clamant, modo nudos in praelia protrudunt: iunge licet foedera, vte re agna


se agnatorum atq; affiniū subsidijs, sed ita utere, ut primum
 locum relinquas manui diuinæ, quæ nunquam sinet sibi eri-
 pi peculiarem istius tyrannidis euersæ gloriam. Quod quo
 religiosius facias, productis quam parcissime equestrib; co-
 pijs, ut potè sumptuosis & haud quaquam diuturnæ militiæ
 patientibus, quibus terra hostis distinetur potius quam du-
 bijs conflictibus vrgeatur, præcipuam belli sedem defineas
 in ea Hollandiæ parte, qua interruptis hinc Frisiorum &
 Transsalarum isthinc Amsterdamensium commercijs, Rhe-
 ni & Oceani nauigationes per Isalæ ostia in illius Mediter-
 ranei maris sinu, quam commodissimo com meatu iūgas atq;
 concilies. Ad eam deuulsionem, regionum ad quotidianos
 vsus à se inuicem pendentium nec bellum, nec alij sumptus
 requiruntur, nisi ut pauculæ vrbes, hinc Gellrico, illinc Hol-
 landico littore modicis præsidjs firmatę bellicas naues tu-
 as necessitate exonerent, ne cogantur portus quærere apud
 eos, qui non tam mala fide, quam vel tyranni terrore, vel cer-
 tē aliundē concepta labefactione consilia nostra aut planē
 euertunt, aut saltem reddunt incerta, atq; impedita. Quibus
 sedibus fortiter vsurpatis, cum neq; tyrannus ad suos tot flu-
 minibus, aquarumq; interluuionibus, disclusos accurrere po-
 terit, ipsiq; insuper tam inopiæ, quàm longarum iniuriarū
 impatientiam contraxerint, nulla difficultate succedet, ut
 defectionibus defectiones inuitantibus, & Germaniæ, & re-
 liquorum Oceani accolarum negotiatores ad noua empo-
 ria tibi gratulatum prouoces, ubi constituta Repub. religio-
 ne, mercatu, pulcherrimis exēplis Brabantia & Flandriam
 vel ad vendicandā proprio ausu libertatem trahas, vel (si de-
 cretum erit cæcutire, ac pereundi insistere pertinacię) tem-
 pus inuenias consiljs, quibus ex media rerū omnium affluē-
 tia pro tuo commodo atq; arbitrato mediterraneis, vel bel-
 lum inferas, vel ad inopem solitudinem à reliquorū cōmer-
 cio recisos etiā ad Troianū decenniū, quasi obsessos excru-
 cies. Quam belli rationē si tunc Gallię necessitatibus postpo-
 suerunt fata tua, nunc certē postquā illa pacata hunc vnicū
 hostē reliquum fecit, superest, ut ad illorū sententiā reuer-
 tamur.

tamur, qui copijs tuis Brabantia ingressis existimabāt, nisi certa spes esset vno atq; altero praelio, hostis ad extremū delēdi, quęrendam eam belli sedē, vnde paulatim conceptis viribus, quam minimo sumptu, ac periculo proficeretur ad cōsumendū paribus dolis cunctabundū aduersariū, qui ad quęlibet precipitem ictum, non esset collapsurus. Quorum omnium felicissimo omine perficiendorū, vt quam certissimam spē facias ijs, qui & animos & fortunas tuis sacratissimis conatibus addixerūt, vnicum est vt, sparsa sæpeq; discordi classe tua in ordinē & militarē disciplinam contracta, deducibus cogites, qui prudentia, iustitia, autoritate, seueritate, primum dispungant tot infamiū stratagematum maculam, deinde nulla iniecta mora, ita ad salutem & libertatē stabiliāt, oportunissimas quasq; ciuitates, vt res ipsa declaret ex ēpla defectionum (quod hæctenus certē infeliciter cecidit) fore extra periculum. Quod ni fiat, ō Pater Patrię, quemadmodum & res & spes totius Belgicę, non sine egregia nominis tui nota adducentur in extremam desperationē, ita summā nobis creabit ignominiam, cum per beneuolas in nos nationes spargetur homines ex turpi egestate ad quęstuariam loquacitatē prouectos, vixq; conspecto foro, nedum inuento, clamorę operę conductore, tuas legationes, pecuniarū coactiones, autoramenta, stipēdia, sacramenta in potestate habuisse, alios, qui furtis, latrocinijs, luxu, libidinibus, effrenis temeritate benignitatē fortunę tuę corruperint, res gessisse, quorum omnium perfidia deterritis atq; alienatis propensissimis ciuitatibus, ne initium quidem iustę atq; honestę militię fieri potuerit. Quibus malis sublati res tyranni, res populi, res tuę, res vicinorū regnorum, si conferre quasq; dignaberis, luce clarius ostendent vniuersam huius euertēdę tyrannidis rationem fortitudine & fiducia animi tui in Deum consistere. Ad quam vt te quanta fieri queat alacritate accingas, largiatur & tibi, & omnibus oppressis tyrannorum omnium æternus vlsor Deus. Amen. 17. April. Anno 1571.

T. C. deditissimus, N. N.










Ni 726.
Jan

ULB Halle 3
001 526 278



Sl.
M.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

LIBE
HI-

MVM
IN-

PRIL
A.

dit,

21
72

W.

